C.W. Lange

De Ara Deo ignoto

Hafniæ 1692.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-252 4° 1405




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-252 4° 1405

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-252 4° 1405



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-252 4° 1405



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-252 4° 1405



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-252 4° 1405

1,-252.
DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°
1 1 01 0 4 01405 7
+REX
BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-252 4° 1405

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-252 4° 1405

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-252 4° 1405

בֹּ.

ΒΩΜΟΣ ΑΓΝΩΣΤΩ ΘΕΩ.

Seu de

ARA DEO IGNOTO

Actor. XVII. v. 23.

Diſſertatio I. Hiſtorico-Philologica,

Quam,

B. D. V.

&

Aſſentiente Ampliſſima Facultate Philoſophica,

Publicè ventilandam ſiſtit,

Præſes

CHRISTIANUS WILHELMI LANGE.

Reſpondente Ornatiſſimo Juvene

JOHANNE JACOBI VIDING.

Die 23 Martii



An. M. DC. XCII.

In C llegio Medicéo.

Horis poſt meridiem ſolitis.

HAFNIÆ, Literis Joh. Phil. Bockenhoffer, Reg. Majeſt.
& Univerſit: Typogr.

845

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-252 4° 1405

APPROBATIO.

Ignota jam eſſe neqvit publico Eruditio Præſtantiſſimi Dn. Baccalaurei, qvi de Ara ignoti Dei tam egregiè commentatur ſimulqve monſtrat ſe Paternarum virtutum hæredem.

C. BARTHOLIN.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-252 4° 1405

Perilluſtri & Generoſo

WILHELMO WORMIO,

Sac. Reg. Majeſt. in Collegio Status, Juſtitiæ & Cancellariæ Conſiliario, in Supremo Tribunali Juſtitiario, In Reg. Academia Haunienſi Profeſſori P. Hiſtoriographo & Bibliothecario Regio.

nec non

Ampliſſimo & Nobiliſſimo

PAULO VINDINGIO,

Sac. Reg. Majeſt. in Supremo Juſtitiæ Tribunali, Cancellariæ & Conſiſtoriali Collegio Aſſeſſori, Et Lingvæ Græcæ in Academia Haunienſi Regia Profeſſori P. Collegii Ephoro ſpectatiſſimo.

Pluri-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-252 4° 1405

Plurimùm Venerando, Eminent:

Doct. JOHANNI VANDALINO,

S. S. Theologiæ Doctori,

Ejusdemq; in Reg. Academia Haunienſi

Profeſſori Celeberrimo,

& in

Collegio Conſiſtoriali Aſſeſſori.

Mæcenatibus & Præceptori

æternùm ſuſpiciendis,

Levem hanc de Ara Ἀγνώϛε Θεε

Diſſertationem Conſecrat,

& ad

Excell. Amplitud. & Eminent.

Veſtræ Aram

humillimè deponit

Cliens & Cultor

devotiſſimus

C. Lange.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-252 4° 1405

VIRO
Plurimum Venerabili Nobiliſſimo atq; Eminentiſſimo
DR. NICOLAO RAN-DULF,
Epiſcopo Bergenſi vigilantiſſimo,
& Capituli, qvod ibidem habetur,
Canonico Primario,
Patrono & Promotori ſuo æternum veneran-do, colendo.

nec non

VIRO
Nobilisſimo, Amplisſimo atq; Excellentisſimo
COSMO BORNE-MANNO
J. U. D.

In Collegio Cancellariæ Conſiliario
digniſſimo,
In Supremo Juſtitiæ Tribunali
&
Collegio Conſiſtoriali
Aſſeſſori Graviſſimo,

Urbis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-252 4° 1405

Urbis hujus Metropolitanæ
Conſuli Meritiſſimo,
in illuſtri Athenæo Hafnienſi
Profeſſori Publico,
Mœcenati optimo, Præceptori honoratiſſimo.
ut &

VIRO

Nobiliſſimo, Ampliſſimo,

JOHANNI BARTHO-
LINO

Philoſophiæ Profeſſori Publico,
Regiæ Communitatis Præpoſito
celeberrimo,
Fautori ac Patrono nunqvam
non piè ſuſpiciendo,

primitias has Academicas
offert, dicat, conſecrat
Cliens atq; cultor
humillimus
JOH. JACOBI VIDING.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-252 4° 1405

ב״.

In contemplatione *Aræ* Ἀγνώϛȣ Θεȣ̃ verſantibus non alienum fuerit ab ararum incunabulis ducere primordia. Cæpiſſe autem videntur illæ cum naſcentis mundi origine; qvid enim credibilius qvàm *Abelum & Cainum* ad oblationes ſuas, qvas ex ordinatione divina & juſſu Parentis fecerunt, aras exſtruxiſſe, *Gen.* 4. *v.* 3. 4.? Poſtea *Noachum* exſtructo altari holocauſta obtuliſſe legimus *Gen.* 8. v. 20; *Abrahamum* etiam non ſemel & *Jacobum* Aras erexiſſe. *Gen.* 12. *v.* 7. & 28. *v.* 18. & 33. *v.* 20. & 35. *v* 1.

Hos imitati Gentiles Diis qvoqve ſuis aras poſuêre; qvinimò eò tandem res rediit, eæq; ingruerunt gentilitiæ ſuperſtitionis noctes, ut tota religio in ſacrificiis poſita fuerit. Hinc tanta in Gentiliſmo ararum farrago, qvarum veſtigia paſſim apud *Pauſaniam*; de qvibus & *Virgil. libr.* 4. *Æneid.*

Centum aras poſuit, vigilemq́ ſacraverat ignem
Templa Jovi centum - - -

Et qvibus nullum altare, iis nec religio nec Deus eſſe credebatur, ut patet ex *Ariſtophane*, apud qvem *Chorus* ἐν Ἀχαρν. de *Lacedæmoniis* ut deperditè ſceleratis loqvitur *pag.* 386. Οἷσιν ȣ̉́τε βωμὸς, ȣ̉́τε πίϛις, ȣ̉θ᾽ ὅρκος μένει. *qvibus neq́ ara, nec fides, nec jusjurandum eſt.* Id qvod in naſcentem etiam Chriſtianiſmum cavillati ſunt Gentiles; novam ſc. eſſe doctrinam & ab antiqvis Græcorum Barbarorumq; ſacris alie-

nam: unde qvæſtio apud *Euſebium* Præp. Evang. l. 1. c. 2. p. 5. τίς ὁ νεωτερισμὸς τοῦ βίου? *qvænă hæc vitæ novitas?* non enim apud Chriſtianos more Gentilium tantô ararum apparatu DEus colebatur; hinc dixerunt novam eos & deſertam, ubi nullum aut Græcorum aut barbarorum veſtigium appareat, ſemitam inſiſtere; qvibus qvidem calumniis maſculè ſatis occurrerunt, ut inter Antiqvos Patres multi, ità è recentioribus haud pauci. Ità *Euſebius Hiſtor. Eccl. in vita Conſtantin. lib. 2. C. 56. p. 346.* οὐ γὰρ ἐστι καινὸν, οὐδὲ τι νεώτερον τὸ καθ' ἡμᾶς: ἀλλ' ἐξ οὗπερ τὴν τῶν ὅλων διακόσμησιν παγίως γεγενῆσθαι πεπιστεύκαμεν, μετὰ τοῦ πρέποντος σοῦ σεβάσματος τοῦτο παρεκελεύσω: *Qvod ad religionis noſtræ inſtitutum atttinet, non novum aut inauditum eſſe credimus, ſed te ex eo tempore, qvô hæc univerſarum rerum fabrica eſt coagmentata, idem cum tuo venerando cultu obſervandum præcipiſſe.* Et *Nicephor. Caliſt. Hiſtor. Eccleſ.* l. 1. C. 5. p. 51. ὅτι μὴ πρόσφατος ἡ τοῦ Σωτῆρος διδασκαλία, ὡς ἂν ἐν ὑστέρῳ τῶν χρόνων συστᾶσα, ἀλλ' ὡς οἷον εἰπεῖν ἐκ πρώτης ἀνθρώπων γενέσεως. *Doctrina ſervatoris non nova & recens, poſterioribusq; temporibus à qvopiam inſtituta, ſed potiùs, qvantum dicere poſſum, à prima hominum origine.*

Hìc in limine plura qvidem de *Aris* eſſent delibanda, ſed ſiqvidem *Hoſpinianus de Templis*: *Greg. Girald. in hiſtoria Deorum* tàm diffuſè de his ſcripſêre, ut nè ſicilimenta qvidem ſuperſint nepotibus demetenda, conſultiùs duxi brevitatis ergò has fimbrias circumcidere. Sed in tranſitu hic tranſire neqveo inſignem *D. Auguſtini* locum de uſu Ararum apud Gentiles *Tom. 10. ſerm. 6. pag. 9. Ara eſt qvæ teſtatur pro Numine id haberi cui erigitur. Nam illi ſc. Ethnici, qvod Numen habeant & pro Numine accipiant illam ſtatuam, ara teſtatur. Qvid illic faciat Ara, ſi illud non habeatur pro Numine? nemo mihi dicat, Non eſt*

Nume-

Numen; *Non eſt DEus: Jam dixi, utinam ſic ipſi norint hoc, qvomodo novimus omnes nos: ſed qvid habeant, pro qvare habeant, qvid ibi faciant, ara teſtatur.* En ad oculum hìc patet, qvare aram poſuêre Gentiles; ut ſc., Numen ibi coli, ſignificaret; & qvia firmas apud omnes ferè gentes radices fixerat πολυθεότης, hinc tam luxurians ararum ſeges in paganiſmo pullulavit.

Sed qvis numerabit omnes Gentilium DEos, omnes aras?

Promptiùs æſtivæ Cereris numerabit ariſtas,
Qvasq́ parit gelido bruma ſub axe nives.

DEos reliqvos arasq́; mittimus, ut de ara Ἀγνώςου Θεοῦ *Athenienſiûm* paucis tranſigatur. Copioſi enim præ cæteris in erigendis Diis ſuis altaribus fuêre *Athenienſes*. Singularis qvippe iis δεισιδαιμονία erat, qvæ potiſſimum in eorum ſacris eluceſcebat. Sunt enim, ut *Clem. Alexandrin. in Admonitione ad Gent.* Ἀκρότητες, inqvit, ἀμαθίας, Ἀθεότης καὶ δεισιδαιμονία: *Extrema Ignorantiæ Impietas & ſuperſtitio*; hinc contigiſſe illis videtur, qvod *Plutarch. de Iſid. & Oſirid.* Ἔνιοι ἀποσφαλέντες πάντα πασιν, εἰς ἀθεότητα ὤλισθον; οἱ δὲ φεύγοντές ὥσπερ ἕλος τὴν ἀθεότητα, ἔλαθον αὖθις ὥσπερ εἰς κρημνὸν ἐμπεσόντες τὴν δεισιδαιμονίαν: *Nonnulli à recta via aberrantes, planè in impietatem inciderunt: alii verò, fugientes, velut paludem, impietatem, imprudentes in præcipitium qvaſi qvoddam in ſuperſtitionem inciderunt.* Qva propter ab Apoſtolo δεισιδαίμονες appellantur, & *ſcholiaſt. Sophoclis in Oedip: Colon.* ex *Polemone ad Timæum de* Athenienſium religione hæc adfert p. 494. Ἀθηναῖοι ἐν τοῖς τοιούτοις ἐπιμελεῖς ὄντες, καὶ τὰ πρὸς τοὺς Θεοὺς ὅσιοι: *Athenienſes harum rerum Obſervandarum ſtudioſi, & in ſacrificiis Deorum faciendis diligentes ac pii.* Poſſem qvidem hìc comitatior venire infinitis eorum teſtimoniis, qvi ſingularem Athenienſium

δεισιδαιμονίαν ſatìs loqvuntur ; ſed nè chartas prodigam, unam alteramve guttam tantùm ex hoc Oceano deguſtabo. Qvàm ferale fulmen in miſerum illum Alcibiadem detonuit, licèt optimè de Patria meritum, qvòd ſimulacra qvædam lacerâſſet, teſtis eſt *Plutarch. in Alcibiade. pag.* 200. *Vox ejus* : Θέσαλος Κίμωνος Λακιάδης εἰσήγγειλεν ἀδικεῖν περὶ τῶ Θεῶ Ἀλκιβιάδην τῶν ἀγαλμάτων περικόπτοντα, καὶ ἀπομιμούμενον τὰ μυστήρια, καὶ δεικνύοντα τοῖς ἑταίροις αὐτοῦ ἐν τῇ οἰκίᾳ τῇ ἑαυτοῦ, ἔχοντα στολὴν, οἵαν περ ἱεροφάντης ἔχων δεικνύει τὰ ἱερὰ, καὶ ὀνομάζοντα αὐτὸν μὲν Ἱεροφάντην, παρὰ τὸ νόμιμα καὶ τὰ καθεστηκότα ὑπό τε Εὐμολπιδῶν καὶ κηρύκων καὶ τῶν Ἱερέων τῶν ἐξ Ἐλευσῖνος. &c. Ἐρήμην δὲ αὐτοῦ καταγνόντες, τὰ χρήματα ἐδήμευσαν : *Teſſalus Cimonis filius Laciades, Alcibiadem qvod ſimulacra lacerâſſet, & adverſus Ceremonias & inſtituta Evmolpidarum, præconum & ſacerdotum Eleuſinenſium myſteria ſimulâſſet, & familiaribus ſuis domi ea oſtendiſſet, veſte indutus, qvali oſtendit ſacra hierophantes, ſeipſum hierophantem nominâſſet, detulit. &c. Et damnaverunt eum indictâ cauſâ & bona ejus publicaverunt.* Juſtæ qvoq; Zelotypiæ ſtimulîs concitatos fuiſſe Athenienſes teſtatur *Lactantius de Ira DEI c. 9. verba ejus : Primus omnium Protagoras exſtitit temporibus Socratis, qvi ſibi dixit non liqvere, utrum eſſet aliqva divinitas, nec ne ; Qvæ diſputatio ejus adeò impia & contra Veritatem judicata eſt, ut & ipſum Athenienſes expulerint ſuis finibus, & libros ejus in concione, qvibus hæc continebantur, exuſſerint.* Ex hac, qvam paucîs jam demonſtravimus, ſuperſtitione, emanâſſe videtur ſuperflua illorum religio ; non enim in cultura Deorum acqvievit, qvin & virtutes divinis honoribus cumulârunt ; ſic erectam Athenis *Verecundiæ* & *Amicitiæ* aram teſtatur *Heſychius :* Ἀθήνησιν, ἐν Ἀκροπόλει, Αἰδοῦς καὶ Φιλίας εἰσὶ βωμοί. *Athenis in arce Verecundiæ & Amicitiæ aræ exſtant ;*

itâ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-252 4° 1405

ità *ſimplicitati teſte Euſtat: ad Iliad. χ.* Ἀθήνησιν Αἰδοῦς καὶ Ἀφελείας ἦν βωμὸς, περὶ τὸν τῆς Πολιάδος Ἀθηνᾶς ναόν: *Erat Athenis ara Verecundiæ & ſimplicitatis, juxta Minervæ Poliadis fanum;* niſi aut φιλίας hìc legendum erit, ut habet *Heſychius*, aut Ἀφελείας apud *Heſychium;* Veriſimilius autem videtur, cum verecundia conjunctam fuiſſe ſimplicitatem & *Heſychium* emendandum: Nec hîs qvidem terminîs circumſcribi ſe paſſa eſt, qvin ad vitiorum qvoq; culturam evagabatur; ſic aram Athenis *Oblivioni* fuiſſe poſitam memorat *Plutarch. Sympos. libr. 9. qvæſt. 6.* Ἐνθαῦθα (Ἀθήνησι) γοῦν καὶ νεὼ κοινωνεῖ (ὁ Ποσειδῶν) μετὰ τῆς Ἀθηνᾶς, ἐν ᾧ καὶ βωμὸς λήθης ἱδρυμένος: *Hic (Athenis) templi particeps (Neptunus) cum Minerva; in qvo etiam ara Oblivioni dedicata;* & *Clem. Alexandr. in admonit. ad Gentes* tradit *Epimenidem* Athenis Ὕβρεως καὶ Ἀναιδείας *Contumeliæ & Impudentiæ aras poſuiſſe.* Atq; hunc morem ab Athenienſibus ad Gaditanos defluxiſſe patet ex *Philoſtr. de vita Apollon. Tyan. libr. 5. c. 1. vox ejus:* Ἕλληνας εἶναί φασι τὰ Γάδειρα καὶ παιδεύεσθαι τὸν ἡμεδαπὸν τρόπον, ἀσπάζεσθαι οὖν Ἀθηναίους Ἑλλήνων μάλιστα: *Qvi Gades incolunt Græci eſſe perhibentur, noſtróq; more eruditi, maxime verò Athenienſes præter cæteros Græcos venerari;* hinc ut Græcorum more eruditi, ità eorum inſtitêre veſtigiis, nec infeliciùs in hac harena illos imitati ſunt; inqvit enim *l. c. Philoſtrat.* τὰ Γάδειρα γήρως βωμὸν ἵδρυνται, βωμοὶ δὲ ἐκεῖ καὶ πενίας καὶ τέχνης: *Gaditani Senectæ aram dicarunt; ſunt qvoq; apud ipſos arti & paupertati aræ poſitæ.* Nec dubitamus, qvin hoc qvoq; à Grajis Romani mutuaverint: Ita *Averruncum* & *Robigum* invocârunt Qvirites, ut mala à frugibus amoverent; teſte *Gellio:* ità *Pallori* & *Pavori*, docente *Livio*, item *Febri*, de qvo *Plinius*, ut inviſis Numinibus Templa ſtruxerunt; qvin & *Lavernam*, Deam furum, *Bello-*

nam , Furias inter Divas repoſuerunt : Unde *Prudentius.*

> *Par furor illorum, qvos tradit fama dicatis*
> *Conſecrâſſe Deas, Febrem, Scabiemq́; ſacellis.*

Qvid? qvod! *Ignotô* qvoq; *DEo* ſacra feciſſe Athenienſes ſatìs ſuperq́; loqvitur *Ara* illa Ἀγνώστῳ Θεῷ Act. 17.

Sed ut hìc præter inſtitutum curſim attingamus, qvis in Græciam Primus DEi notitiam invexerit, tum ſanè hic nodus propemodum Vulcanius eſt, in qvo ſolvendo non paucis nervis ſudabimus, cùm tam fallacia ſint Antiqvitatum veſtigia, ut pedem in iis tutò figere neqveamus; hìc enim procedit illud *Thucydidis, libr.* I. Τὰ πρὸ ἡμῶν, καὶ τὰ ἔτι παλαιότερα σαφῶς μὲν εὑρεῖν, διὰ χρόνου πλῆθος, ἀδύνατον. *Qvæ ante nos & qvæ vetuſtiora ſunt, planè comperta propter longitudinem temporis eſſe non poſſunt.*

Non deſunt, qvi *Jovem Argivum*, ut primum *Argivorum* Regem, ità qvoq; notitiam DEi in Græciam intuliſſe, aſſerunt; ſed hoc ideò factum eſt, ut auguſtiora eſſent auſpicia, cùm ex *Apollodor. de Diis libr.* 2. patet, hunc qvartum poſt *Inachum* regnâſſe; Primus enim futuri *Argivorm* regni fundamina jecit *Inachus* (cui Ἴναχος *Argivorum* fluvius nominis ſui debet natales); Mox plenius poteſtatem habuit *Phoroneus*, ex *Inacho* & *Meliſſa Oceanina* natus, qvem *Hyginus* primum omnium *Junoni* ſacra feciſſe, primum item mortalium regnâſſe (*vellem ad Argivos reſtrinxiſſet*) refert. fab. 143. Poſt *Phoroneum Apis* imperii faſces vibravit, excuſſumq́; è manibus ejus ſceptrum arripuiſſe *Jovem Argivum* tradit *Apollodor.* l. c. Hujus *Inachi* temporibus nihil in Græcia vetuſtius, nam *Jove* cæteriſq; Principibus (qvos illi *Deos* ɔ: *Dynaſtas* appellarunt, idq́; more Orientalium & præcipuè Perſarum, qvi ità Reges ſuos vocitabant,

qvod

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-252 4° 1405

qvod facilè eſt probaſſe ex *Æſchylo* & *Iſocrate*) antiqvior eſt *Inachus*, qvi ſecundum plerosq;(*Abrahamo* Patriarcha apud Orientales florente) *Argivorum* regnum condidit; qvamvis ſcio qvidem *Clementi Alexandrin. libr. I. Stromat. in illa longè Eruditiſſima* ῥήσει, *ubi agit de veteris Græciæ & Hebræorum temporibus*, viſum aliter fuiſſe (illum enim *Moſi* σύγχρονον facit) *vox ejus:* γίνεται ἡ ἔξοδος κατὰ Ἴναχον, ἐξελθόντος ἀπ' Αἰγύπτου Μωσέως: *fuit Hebræorum exitus tempore Inachi egreſſo ex Ægypto Moſe.* Ab hoc Inacho deſcendiſſe videntur ἄναξ & ἄνακες in veteri Græcia, qvæ vox, ut ex Poëtarum ſcriptis patet, *Deum* & *Deos* ſignificavit. *Gigantum* etiam hiſtoria (ſeu mavis fabula) de *Græcanicis* iſtis *Gigantibus* loqvor, qvi Poëtarum carminibus celebrati fuêre) illa, inqvam, hiſtoria temporibus *Inachi* recentior, aut falſa qvæ de iis prodita ſunt omnia. Unde facilè liqvet præter aniles qvasdam gentilis Theologiæ fabulas, qvibus Veterum libri ſunt referti, nihil fuiſſe in Græcia, qvod cùm *Inachi* ævo certare poſſit. Hunc autem *Inachum* qvædam notitiæ Dei ſemina Argivorum inculcâſſe animîs, exinde conjicimus potiùs, qvàm aſſerimus, qvòd *Apollodor. libr. 2 tradit, qvòd* τὰς πηγὰς ἐξήρανε Ποσειδῶν μηνίων Ἰνάχῳ, διότι τὴν χώραν Ἀθηνᾶς ἐμαρτύρησεν εἶναι: *Neptunus iratus Inacho fontes exſiccavit, qvòd eam terram Minervæ eſſe diceret.* Incœptam verò ab *Inacho* telam feliciùs pertexuit *Cecrops* (qvi juxta *Euſebium Præpar. Evangel. lib.* 10. C. 9. Πρῶτος Ἀθηναίων βασιλεύει, Ἄργους ἡγουμένου Τελώπα, ὅς ἦν ἕβδομος μετὰ τὸν πρῶτον Ἀργεῖον Ἴναχον: *Primus Athenis regnavit, Triopa regnante Argis, qvi ſeptimus ab Inacho Rege Argivorum fuit; Inachi* enim tempore *Athenienſium* nec civitas nec nomen fuit;) Hic *Jovem* primus Deum proclamavit *teſte Evſeb. Præp. Evang. l.* 10. *c.* 9. Πρῶτος ὁ Κέκροψ, inqvit, Λέγεται Ζῆνα κεκληκέναι τὸν Θεὸν, μὴ πρότερον οὕτω παρ' Ἀν-

θρώ-

θρώποις ὠνομασμένον· Ἔπειτα βωμὸν πρῶτ᾽ Ἀθηναίοις ἱδρῦσαι πρῶτος· καὶ πάλιν πρῶτος Ἀθηνᾶς ἄγαλμα συςήσαϑαι, ὡς ἐδὲ τέτων ἐκ παλαιῦ ὑπαρχόντων. μετὰ δὲ τῦτον καὶ οἱ παρ᾽ Ἕλλησι Θεοὶ πάντες γενεαλογῦνται: *Jovem à Cecrope primum appellatum eſſe Deum, ferunt, cùm neqvaqvam inter homines id antea nominis habuiſſet, ab eodem poſtmodum primam Athenis excitatam aram, primumq́ Minervæ ſignum conflatum ac poſitum fuiſſe, nec enim pervetuſtum illud genus extitiſſe. Itaq́ poſt Cecropem tota illa Græcorum numinum genealogia texitur.* Poſtea verò, dubium non eſt, qvin *Græci* ex vicinis *Hebræorum, Ægyptiorum, Phænicum* & reliqvorum barbarorum fontibus ſacra ſua maximam partem hauſerint; id qvod *Euſeb. Præp. Ev. libr.* 10. *c.* 1. aſſerit. Τὴν πλειόνων Θεῶν δόξαν, τά τε μυςήρια, καὶ τὰς τελετὰς, καὶ τὰς ἱςορίας, καὶ τὰς μυθικὰς περὶ Θεῶν διηγήσεις, τῶν τε μύθων τὰς ἀλληγορεμένας φυσιολογίας, καὶ τὴν λοιπὴν δεισιδαίμονα πλάνην παρὰ βαρβάρων εἰλῆφθαι Ἕλληνας: *Illam de pluribus Diis opinonionem, & myſteriorum ſacrorum ritus, hiſtorias atq; fabuloſas Deorum narrationes, earumq́ ad naturalem qvandam allegoriam traductiones, & qvicqvid ex ſuperſtitioſo errore ſupereſt, Græcos à Barbaris mutuâſſe;* & qvidem credi id jubent, tot *Græcorum* freqventes in Barbarorum provincias excurſiones; de qvibus *Euſeb. Præp. Evang. l.* 10. *c.* 1. Τὰς παλαιτάτες Ἕλληνας γῆν πολλὴν πλανηθέντας οὐκ ἀταλαιπώρως μὲν ἐξ ἐρανε τῶν παρὰ Βαρβάροις μαθημάτων τὴν οἰκείαν συςήσαϑαι Θεολογίαν ἐφωράσαμεν: *Vetuſtiſſimos illos Græcos, ſemotas regiones laboribus maximis oberrando, ex emendicata doctrinarum, qvibus florebant Barbari, ſtipe, illam ſuam Theologiam conflâſſe deprehendimus.*

Sed ut ad aram Ἀγνώςῳ Θεῷ, unde digreſſus ſum, redeam, primò disqvirendum venit, an in *ſingulari numero*, ut vult *Apoſtolus*, an verò in *plurali* inſcripta fuerit. Nullus autem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-252 4° 1405

tem, ut opinor, in hoc ſimpulo excitat fluctûs; obturbare tamen videtur *Hieronymus Comm. in Epiſt. ad Tit. cap.* 1. *pag.*201. *Verba ejus: Inſcriptio aræ, non ità erat ut Paulus aſſeruit, Ignoto Deo, ſed ità Diis Aſiæ & Europæ & Africæ Diis Ignotis & Peregrinis. Verùm qvia Paulus non pluribus Diis indigebat ignotis, ſed unô tantum Ignoto Deo, ſingulari verbo uſus eſt: ut doceret, illum ſuum eſſe Deum, qvem Athenienſes in aræ titulo prænotâſſent, & rectè eum ſcientes colere deberent, qvem ignorantes venerabantur:* hactenus *Hieronymus*; ſed hoc non ingravat noſtram puppim; nam ut taceam Pietatem potius, qvàm hiſtoriarum fidem ex *Hieronymo* eſſe hauriendam, ſi ad tribunal Patrum provocatur, conſtabit utiq; qvàm longè ab eò diſſentiant. *Oecumenius comm.* in Act. Apoſt. C. 17. p. 136. inſcriptionem talem fuiſſe memorat:

ΘΕΟΙΣ ΑΣΙΑΣ ΚΑΙ ΕΥΡΩΠΗΣ
ΚΑΙ ΛΙΒΥΗΣ
ΘΕῼ ΑΓΝΩΣΤῼ
ΚΑΙ
ΞΕΝῼ.

Cui conſentit *Theophylactus in Collect. Græc. in c.* 17. *Act. p.* 151. Ἦν δὲ, inqvit, ἡ πᾶσα τοῦ βωμοῦ ἐπιγραφή. Θεοῖς Ασίας, καὶ Ευρώπης καὶ λιβύης, Θεῷ Ἀγνώςῳ καὶ ξενῷ: *Hæc autem erat tota aræ inſcriptio, Diis Aſiæ, Europæ & Libyæ, DEo Ignoto & Peregrino.* Nec ab his qvidem diſſentit *Chryſoſtomus Comm. in Act. c.* 17. *p.* 705. & *hom.* 3. *in Epiſt. ad Tit. p.* 1707. Sed obtendit forſan *Hieronymus* tanqvam ſcutum Achilléum, *Pauſaniam in Eliac. l.* 5. *p.* 314. *aram Ignotis Diis conſecratam referre; Vox ejus:* Καλεῖται Ὀλυμπίου Διὸς βωμός. Πρὸς αὐτῷ δ' ἐςὶν ἀγνόςων Θεῶν βωμός: *Vocatur ea ara Jovis Olympii. Adjacet ei Ignotorum Deorum ara: & Philoſtratum de vita Apollonii Tyan. l.* 6. *c.* 2. *p.* 262 *de aris*

Igno-

Ignotorum Deorum memorare; *Verba ejus:* σωφρονέστερον περὶ πάντων Θεῶν εὖ λέγειν, καὶ ταῦτα Ἀθήνησιν, οὗ καὶ Ἀγνώστων Δαιμόνων βωμοὶ ἵδρυνται: *Præclariùs enim eſt & modeſtiæ majoris indicium, de Diis omnibus benè loqvi, Athenis præſertim, ubi etiam Ignotis Diis aræ ſunt conſtitutæ.* Qvin ad hanc Gorgonem non obrigeſco; *nam unius poſitio non eſt alterius ablatio:* & ſiqvidem ad *Antiqvitatem Græcam* confugit, ſpero qvidem, ex illa hanc litem poſſe dirimi. Qvid apertius iſto *Luciani in Philopatr. p* 1121. ubi *Critias* jurat νὴ τὸν Ἄγνωστον ἐν Ἀθήναις? & poſt p. 1129 *Triephon* ita Dialogum claudit: ἡμεῖς τὸν ἐν Ἀθήναις Ἄγνωστον ἐφευρόντες, καὶ προσκυνήσαντες χεῖρας εἰς οὐρανὸν ἐκτείναντες, τούτῳ εὐχαριστήσαμεν: *Nos autem Athenis DEum Ignotum invenientes & adorantes, manibûs in cælum expanſis huic gratias agimus.*

Sed non multi erimus in his tralatiis, progrediamur ulteriùs, *qvare erecta hæc fuerit ara*, viſuri. Jam verò ſe maria oſtendunt, cùm de cauſa erectæ hujus aræ in tam diverſum abeunt doctiorum ſententiæ, ut haud niſi *Ariadnéo* filô ex earum labyrinthis nos extricare poſſimus; qvò autem feliciùs per has ſpinas eluctemur, unius cujusq; ſententiam penitiùs excutiamus. Neutiqvam noſtrô comprobatur calculô, qvod *Iſidor. Peluſiot. l.* 4. *Epiſt.* 69. *p.* 34 refert, cujus verba hìc annectam: Οἱ μὲν γάρ φασιν, ὡς Φιλιππίδην ἔπεμψαν Ἀθηναῖοι ἡμεροδρόμον πρὸς λακεδαιμονίους περὶ συμμαχίας, ἡνίκα Πέρσαι ἐπεστράτευσαν τῇ ἑλλάδι. διὸ κατὰ τὸ παρθένιον ὄρος Πανὸς φάσμα ἐντυχὸν, ᾐτιᾶτο μὲν Ἀθηναίους, ὡς ἀμελοῦντας αὐτοῦ, βοηθεῖν δὲ ἐπηγγέλλετο. Νικήσαντες οὖν βωμὸν ᾠκοδόμησαν, καὶ ἐπέγραψαν ΑΓΝΩΣΤΩΙ ΘΕΩΙ: *Qvidam dicunt, Philippidi Curſori ab Athenienſibus ad Lacedæmonios miſſo pro ineunda ſocietate, cùm Perſæ Græciam bellô infeſtarent, circa montem Parthenium Panis ſpectrum occurriſſe, qverentis ſe ab Athenienſibus negligi; pollicebatur autem ſe opitulaturum. Partâ igitur*

tur Victoriâ, *aram erexerunt cum hac Inſcriptione*; *Ignoto Deo.* Id qvod, ni fallor, deſumpſit ex *Pauſania l.* 1. *Atticor.* ubi eadem hiſtoria narratur. Sed qvàm arenoſô hoc nititur talô, facilè dijudicare poteſt, cujus

De meliore luto finxit præcordia Titan:

ut non opus ſit longo verborum ſyrmate hanc ſententiam refutare; expreſſè enim & apud *Pauſaniam l. c.* & *Herodotum Erat. cap.* 105, Deus iſte *Pan* nominatur, eiq; ſub hoc non ſub *Ignoti Dei* nomine honores habitos, templumq; ſtructum dicitur.

Nec accuratum ſuſtinet examen ſententia *Laertii* in *Epimenide. pag.* 42. *vox ejus*: Ἀθηναίοις τότε λοιμῷ κατεχομένοις ἔχρησεν ἡ Πυθία καθῆραι τὴν πόλιν. Οἱ δὲ πέμπουσι ναῦν τε καὶ Νικίαν τὸν Νικηράτου εἰς Κρήτην, καλοῦντες τὸν Ἐπιμενίδην. καὶ ὃς ἐλθὼν Ὀλυμπιάδι τεσσαρακοστῇ ἕκτῃ ἐκάθηρεν αὐτῶν τὴν πόλιν, καὶ ἔπαυσε τὸν λοιμὸν τοῦτον τὸν τρόπον· λαβὼν πρόβατα μέλανά τε καὶ λευκὰ, ἤγαγε πρὸς τὸν Ἄρειον πάγον· κἀκεῖθεν εἴασιν ἰέναι οἷ βούλοιντο, προστάξας τοῖς ἀκολούθοις, ἔν ἂν κατακλίνοι αὐτῶν ἕκαστον, θύειν τῷ προσήκοντι Θεῷ· καὶ οὕτω λῆξαι τὸ κακόν. ὅθεν ἔτι καὶ νῦν ἐστιν εὑρεῖν κατὰ τοὺς δήμους τῶν Ἀθηναίων βωμοὺς Ἀνωνύμους: *Athenienſes, cùm aliqvando peſte laborarent, reſponſô à Pythia acceptô, urbem expiari oportere; Niciam Nicerati filium navi miſêre, Epimenidemq; è Creta advocârunt: Profectus autem Olympiade XLVII luſtravit urbem peſtemq; compeſcuit hôc modô: Sumpſit oves nigrô & candido vellere, duxitq; in Arium pagum, atq; inde qvò vellent abire permiſit, his, qvi illas ſeqvebantur, mandans, ubicunq; illæ accubuiſſent, ſingulas mactarent peculiari cuipiam Deo; atq; in hunc modum qvievit lues: Ex eo jam hodieq; per Athenienſium pagos aras ſine nomine inveniri, certum eſt.* Cui qvidem adſtipulantur *Iſidor. Peluſiot. l.* 4. *Epiſt.* 69. & *Ludov. Viv. Comment. in Libr.* 7. *Auguſt. de Civit. Dei. cap.* 17. *Girald. in*

 hiſt-

hiſtori Deor. Synt. 1. *Athanas. Kircher. tom.* 2. *Oedip. Ægypt. Syntagm.* 3. *c.* 2. Sed ſiqvidem nulla hac de re apud alios Hiſtoricos Græcos reperiantur Veſtigia, dubitamus, an fidem hìc uni tribuamus *Laertio*. Patet qvidem ex Hiſtoricis gravi ſæpiùs peſte vexatos fuiſſe Athenienſes; ſic *Thycydides libr.* 2. peſtem illam deſcribit, qvæ unà cum **D***oriaco bello* Athenas infeſtavit, de qva Oraculum;

Ἥξει δωριακὸς πόλεμος καὶ λοιμὸς ἅμ' αὐτῷ.

D*oriacum veniet loimo comitante duellum.*

Unde lis orta eſt, utrùm λοιμὸς *peſtis*, an verò λιμὸς *fames hic* intelligeretur; nullibi verò hac de re fit mentio. Præterea neſcire non potuit *Laertius*, qvisnam Deus morbos debellaret, notum enim apud Gentiles in morbos imperium tributum fuiſſe *Apollini*, huic igitur aram potuit erigere; ſic in *Circo Flaminio* apud Romanos qvotannis ſtato die ludi *Apollinares* celebrabantur, *Apollini*, domitori Peſtilentiæ, ſacri, teſte *Livio*; ut taceam ſæpiùs occurrere βωμοὺς Ἀνωνύμους, licet non ſtatim Ἀγνώστου Θεοῦ. Sic *Thucydides l.* 1. aram memorat ſine Dei aut Deæ nomine: *vox* ejus: Οἱ δὲ ἄλλοι, ὡς ἐμπιέζοντο, καὶ τινες ἀπέθνησκεν ὑπὸ τοῦ λιμοῦ, καθίζουσιν ἐπὶ τὸν βωμὸν ἱκέται, τὸν ἐν τῇ ἀκροπόλει: *Alii verò cùm affligerentur, ac jam fame qvidam obirent, ſuplices ad aram, qvæ in arce, conſidebant*; an igitur hic ſtatim *Ara Ignoti* Dei erit intelligenda?

Probabilior primâ qvidem ſpecie videtur Scholaſticorum opinio, qvam refert *Nicol. de Lyra. Comm.* in Act. C. 17. p. 1174. *Qvòd Philoſophi Athenis exiſtentes, & tenebras factas in die Paſſionis Chriſti conſiderantes, qvòd non poterant eſſe virtute naturæ, & qvod non factæ ſint per interpoſitionem lunæ: ut dicit* Dionyſius *ſe vidiſſe lunam retrò cedentem & iterum eam redeuntem ad locum ſuum verſus Orientem. Talis autem motus lunæ erat contra curſum natu-*

turæ

turæ: propter qvòd illa Ecclipſis non fuit naturalis. Item qvòd illa Ecclipſis ſolis à parte Orientis incepit, & in eadem parte fuit determinata; Ecclipſis autem naturalis ipſius ſolis ſemper incipit à parte occidentali, & in parte oppoſita terminatur: Item qvòd illa Ecclipſis duravit tribus horis ſeu ab hora ſexta usq; ad nonam Matth.27. Ecclipſis autem ſolis non tantùm durat, ſed modico tempore. Hæc igitur Philoſophi conſiderantes conſecraverunt altare DEo, qvi talia mirabilia fecit; qvem vocaverunt Ignotum. Hactenus *Lyra*; Atq; hæc ſententia deſumpta eſt è colloqvio *Apollophanis Sophiſtæ* & *Dionyſii Areopagitæ*; Cùm enim hanc Ecclipſin, mirabundis perluſtrarent oculîs, exclamâſſe fertur *Apollophanes*: Ὦ καλὲ Διονύσιε, ἀμοιβαὶ θείων πραγμάτων: *O præclare Dionyſi rerum divinarum vices.* Cui *Dionyſius*: ἢ τὸ θεῖον πάσχει, ἢ τῷ πάσχοντι συμπάσχει. Ἄγνωστος πάσχει Θεὸς, δι᾽ ὃν τὸ πᾶν ἐζόφωται καὶ σεσάλευται: *Aut DEus patitur, aut cum patiente dolet: DEus ignotus patitur, propter qvem hæc univerſitas tenebris eſt obſcurata & qvaſſata.* Vid. *Svidam* in voce Διονύσιος. Ex qva reſponſione cauſam inſcriptæ aræ περὶ τοῦ Θεοῦ Ἀγνώστου ſumptam volunt. Qvam qvidem ſententiam amplexantur præter *Hugonem, Petrum de Natalibus, Salmeron tract. 47. in Act. in h. l. Melanchton. Selneccer. Comm. in cap. 17. Act. p. 231. Blebel. in Epiſt. dedicator. Element. Sphæric: Meldendorp. l. 2. de Academ.* Et ſanè credi id qvidem jubent prægnantes ſatìs rationes; qvid enim credibilius qvàm illos huic aram conſecrâſſe DEo, cui tam mirabili mutatione natura parentâſſe videbatur? & opportunè qvidem *Chriſtus* vocari potuit Ἄγνωστος, raró enim divinitatis ſuæ radios vibravit, hinc apud *Eſaiam cap. 45.* vocatur אל מסתתר *DEus abſconditus.* Sed qvibuscunq; demum hæc ſententia

exor-

exornatur phalerîs, ſi accuratiùs rem examinabimus, fidem nobis extorqvere neqvit. Ut enim taceam, totam illam de *Dionyſio Areopagita* ſententiam ſuſpectam admodum eſſe doctioribus, & ſcripta ejus, è qvibus hæc ſunt deſumpta, cenſeri ſuppoſititia, & qvintum ſeculum Chriſtianûm redolere; qvî ex aſtrorum diſciplina haurire potuit *Dionyſius* DEum vel pati vel patienti compati? an qvia tenebræ præter Naturæ ordinem in ſole ortas vidit? Anne ſtatim vel DEus naturæ patitur, aut compatitûr, ſi Natura qvicqvam inſoliti præter ordinem oſtendit? ſed hæc omnia in conflictu dilucidiùs.

Metam propiùs attigiſſe videtur *Chryſoſtomus Comm. in Act.* c. 17. p. 705. Ἀθηναῖοι ἐπειδὴ κατὰ καιροὺς πολλοὺς ἐδέξαντο Θεοὺς, καὶ τοὺς ὑπερορίας, οἷον τὸ τῆς Ἀθηνᾶς ἱερὸν, τὸν Πᾶνα καὶ ἄλλους ἀλλαχόθεν, δεδεικότες μή ποτε καὶ ἄλλος τις ᾖ αὐτοῖς μὲν οὐδέπω γνώριμος, θεραπευόμενος δὲ ἀλλαχοῦ, ὑπὲρ πλείονος δῆθεν ἀσφαλείας καὶ τοῦτο βωμὸν ἔστησαν, καὶ ἐπειδὴ οὐκ ἦν δῆλος ὁ Θεὸς, ἐπεγέγραπτο, ΑΓΝΩΣΤΩΙ ΘΕΩΙ: *Athenienſes, qvi per multa tempora acceperant etiam* D*Eos extraneos, utpote templum Minervæ & Panem & alios colendo, timentes nè forſan & alius qvispiam eſſet, qvem ignorarent, qvi alibi tamen colatur, propter majorem igitur ſecuritatem etiam ipſi altare erexêre, & qvoniam non erat manifeſtus* D*Eus, Inſcriptum erat Ignoto* D*Eo.* Negari enim non poteſt, qvin ut in aliis Athenienſium ſacris, ità in hoc qvoq; ſingularis ſe prodiderit δεισιδαιμονία, ut de hac ara, qvod de *Amphitrioniadis Arcadius* ille *Evander* apud *Virgil.*

Hanc tanti Numinis aram
Vana ſuperſtitio, veterumq; ignara Deorum
Impoſuit. - - - -

Additamenta Defendentis.

1.

Non rectè *Bellarminus libr.* 3. *de Eccleſ.* c. 1. aſſerit, *populum Veteris tantùm teſtamenti propriè dici Synagogam* ɔ: *congregationem, populum verò novi teſtamenti non ità, ſed ſemper dici Eccleſiam.*

2.

Vox כלה *Daniel.* 9. *v. ult.* ſatìs evincit finalem templi Hieroſolymitani deſolationem, ut nunqvam exſtruatur templum tertium de qvô multa fabulantur Judæi, & per conſeqvens etiam finalem Judæorum exciſionem.

3.

Non fidem meretur *Clemens Alexandrin. in Admonitione ad Gentes*, dum dicit, *Moſem in Ægypto à Græcis fuiſſe informatum.*

4.

Opportunè qvondam *Romulus* caſam ſuam in Capitolio conſtituit, licèt monumentum ſtramine tectum, ut ſubinde cives recordarentur, ex qvàm humillimis ſurrexiſſent initiis.

5.

Non ſine cauſa Romanos bellô Pyrrhi & Tarentino de pecunia ſollicitos *Juno* admonuit, pecuniam non defuturam, *Juſtitiam & Arma* colentibus.

6.

Piratica apud antiqvos Danos non licita modò fuit, ſed & honeſta.

7.

Magnam partem incerta ſunt, qvæ ſcripſit *Saxo Grammaticus.*

Nobi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-252 4° 1405

Nobiliſſimo Domino
PRÆSIDI
Amicorum optimo
ita extemporali metro aſſurgit
JOH. TRELLUND.

Ignis ubi reſidet, propriô ſe lumine prodit,
Et radios neſcit diſſimulare ſuos;
Haud ſecus ingenium, ſacro qvod ab igne caleſcit,
Nobile qvo radiat, ſpargit ubiq; jubar.
LANGIUS exemplo eſt, qvem Diſſertatio præſens
Aonii plenum luminis eſſe probat,
Scilicet Illuſtrem ſoboles præclara Parenrem,
Ingenium vivax ſcriptio docta docet!

Cum ARÆ Athenienſium IGNOTO DEO dicatæ thuris honorem eruditâ *Diſſertatione* imponeret *Perreximius atq; amiciſſimus*
PRÆSES,
Salſam hanc molam
φιλίας ἕνεκα feſtinanter appoſuit
S. J. LINTRUPIUS.

Vera qvidem, ſed mira refert, qvi *Numinis aram*
Ignoti vanis cultam depingit *Athenis.*
Ecqvis enim in tenebris radioſam qværere lucem,
Inter idola, DEum vellet? Qvis *Numen* Athenis?
Poſtqvam ibi jamdudum pro *Numine*, *Numina* culta
Conſtat; & *Actæum* lernæa cicuta *Magiſtrum*

Suſtu-

Suſtulit, unum auſum profiteri Numen. At olim
Vis animi ignaris etiam verum exprimit; Illic
Inſcriptæ virtus *legis* media inter idola
Cernitur *Ignoto* ſpatium ſacraſſe Tonanti.
Huc ergo Empæcta; huc maleſanæ mentis Alaſtor
Eſſe DEum negitans; huc vanus adeſto *Deiſta*:
Huc ades *Oſtrodo* ſocio comitate *Socine*;
Et velut in tabula nuturæ cernito lumen
Ἔμφυτον, humanis inſcriptum mentibus olim,
Sed modò Cecropiæ, qvam illuſtrat LANGIUS, *aræ*.

Nobiliſſimo & ingenioſiſſimo Dno. *Præſidi*

CHRISTIANO LANGE,

Amico æſtimatiſſimo

intimeratæ φιλίας ἕνεκα feſtinanter ità applaudit

Si Gnati virtute vetus renovata Cononis
  Fama fuit, meritîs ſama parata ſuîs;
Nonné reviviſcet defuncti gloria LANGî,
  Dum Patrium Proles æmula calcat iter?
Stât juvenis, doctoq; Viris movet ore ſtuporem,
  Et clara ingenii dat documenta ſui.
Macte nova virtute, Patris non degener Hæres,
  Nam fluit ex labiis ſvada Paterna Tuis.
Macte, nec invideo, ſed pectore gratulor imo,
  Et voveo cœptis proſpera fata Tuis!
Hîc vale; me veſtras fateor deſcribere laudes
  Non potuiſſe ſatìs, ſit voluiſſe ſatìs.

ANDR. FRöLUNDT.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-252 4° 1405

Nobiliſſimo & Pereximio

PRÆSIDI

Amico Integerrimo.

Nonne tulit dudum Bellona vel ignis *Athenas?*
Inq; ſuis periit, qvæ fuit, *Ara* rogis?
At *focus* accenſus qvid vult? num, Theſſale, fanum
Hìc mirerê tuum? numve, Pelaſge, tuum?
Nuper *Athenæum* BORRICHIA dextra Lycéum
Condiderat, ſed qvod defuit, *Ara* fuit.
LANGIUS hanc addit, veterem dum colligit urnam,
Qvam tectam biblo Roma vel Hellas habet.
Dum ſed, Amice, legis cineres, tua nomina ſpargis,
Famam, non *flammam* concitat ille *focus*.
Dum rimaris, habent qvid *Athenæ*? ridet Ἀθήνη,
Et ſocias tecum geſtit habere manus.
Ducis ab *ignoto notum* tibi *nomine* nomen;
Ara, qvid exſpectet *ſacra*, *prophana* docet.

GEORGIUS URSINUS.

Nobilisſimo & pereximio Domiuo *Præſidi*

CHRISTIANO LANGE

gratulatur amicè

C. CLEMENTINUS.

Dædalus occiderit, tenui remanebit Apelles
Facturus calamo pegma, qvod ille manu.
Ponis Athenæo noſtro, qvas Hellas Athenis
Ante fores, aras dexteriore ſtylo:

Char-

Charta baſin, calamus trullam fert, Attis amuſſim
Inclyta, ſic fauſtô ſub Jove ſurgit opus.
Qvid ſupereſt? ardet dites altare cruores;
Sufficiant, pauper qvæ fero grana ſalis.

Ornatiſſimo Domino RESPONDENTI

JOHANNI JACOBI VIDINGIO

Ignoti Dei defenſione publico *innoteſcenti*
officioſam amicitiam teſtaturus
prop: applaudit
S. J. LINTRUPIUS.

Fallor? an errarunt, *ignoti nulla cupido*
Qvi dixere? errant: *Ignoti Numinis ara*
Cultores habuit multos, nec ſemper Athenis
Tantùm habuit, ſed habet, qvos doctâ evolvere chartâ
Et magis illuſtrare juvat, ſic forſan ab *ara*
Ignotâ ad *noti* graſſari culmina Phœbi
Et delubra placet. Sic olim *laurea* clarum
Conſtituet, nunc fecere *altaria notum.*

Ingenioſisſimo Domino

DEFENDENTI.

Ingenium ignotum, notum Numen faciendo,
Qvod fuit ignotum, noſcitur inde tuum.
Inſcriptô lapidi loqveris de Numine ſummô,
Inſcribi lapidi, marmoreoq; meres;

Inſcriptum chartæ nomen transmitte per orbem,
Fac volet ad patriam, ſic tua lausq; volat.

honoris & amoris ergo appoſuit
JOHANNES TORSONIUS.

Eidem.

Dantur qvamplures Athei. caligine merſi,
Qvi prava in praxi ſcandala plura patrant.
Fert meritò laudes *Viding* qvi illuſtrat iisdem
Doctrinam veram notitiamq; Dei.
Perge *Viding* fidei ſcrutari dogmata, perge,
Et docili ſtabiles pectore condere opes!
Sic qvoq; ſucceſſus urge conamine plenô!
Sicq; move lapides! ardua ad aſtra via eſt.

ita applaudit
PETRUS ALSTRUPIUS.

Præſtanſtantisſimo & Ingenioſisſimo

DNO. DEFENDENTI.

Exhibet ara DEum, qvis erit, qvis cultus habendus
Neſcit, & inſculptum qvod ſibi Numen erit,
Qvem ſibi reddiderant ignotum, notus Athenis
Clamatur Divini ore docente viri,
Aſt ſpernunt ſtolidè myſteria ſacra, colentes
Gloria qveîs vera ex utilitate manet,
Hæc tu perpendis, nec fruſtra, noſceris inde,
Inde magis notus docta theatra petas:

honoris & amoris ergo oppoſuit
ANDREAS DASSIUS.

Inge-

Ingenioſisſimo ac Literatisſimo Dno Defendenti

JOHANNI JACOBI VIDINGIO

Amico fideliſſimo.

Qvi virtute meret laudem, qvi laude coronam,
Qvi famam claram commeret arte ſuâ,
Omnibus eſt notus, magnas it fama per urbes;
Et virtute ſuâ tendit ad aſtra poli.
Laus tua, mi *Viding*, etiam ſuper æthera nota eſt,
Dum qværis laudes ſemper ubiq; tibi,
Dum tua fama volat, volitat dum fama per ora
Doctorum, tibi qvi *laurea ſerta* dabunt.
Gratulor, en! tibi, mi *Viding*, en! gratulor, inqvam,
Tu qvi ignotus eras, notus ubiq; manes,
Gratulor, en! tibi nunc, tibi nunc cariſſime *Frater*
Perge tuis ſtudiis, ſic tibi *Laurus* erit.

ita applaudit
OTTO EDVARDI.

Ingenioſisſimo & Amicisſimo

Dno. DEFENDENTI.

Eſt ſua Majeſtas ſtudiis, lux, pompa, triumphus,
Cultoresq; vehunt fama rotæq; ſuos,
Sed niſi certanti præbetur nulla corona,
Et vaga ſudorem gloria ſemper habet.
Aſſentiris huic *Viding*, comitante labore,
Ardua Parnaſſi dum juga celſa petis,
Et ſpe victricis, qvam vis tibi tollere, palmæ
Bella geris ſtudiis non aliena tuis.
Hos tibi gratamur niſus, gratamur honores,
Et patria hos plauſus non ſine laude probat;

Per-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-252 4° 1405

Perge nec in primis ſubſiſte ſed adde ſecundis
Tertia, te cingent *Laurea* docta brevi.
ita gratulatur, ita applaudit
CLAUDIUS FASTING.

Literatisſimo Domino

DEFENDENTI

Amico in paucis charo.

Eſt verum verbum qvalis ſit avis canit atq́;,
Sic canis & doctè, tu qvoq́; ritè canis;
Theiologus pulchrè de ſummo Numine tractas,
Proponis nobis qvem colis ipſe Deum;
Numine ab ordiris ſpecimen ſtudii dare ſummô,
Laudes hince tibi do, meritasq́; dabo.
hôc pactô aſſurgit
PETRUS HOFMANNUS.

Perreximio atq; Amicisſimo

RESPONDENTI

ità gratulatur
PRÆSES.

Nunc omnis revireſcit humus, nunc germinat Arbor
Nunc qvoq; fers *Clario* germina digna *Deo*.
Germina ſuccreſcant, & circum tempora creſcat,
Qvam tibi, *VIDINGI*, *Laurus*, *Apollo* dabit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-252 4° 1405

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-252 4° 1405

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-252 4° 1405

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-252 4° 1405